

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Samuel Rachel Gerhard Nährman

**Exercitationem Academicam De Iurisprudentia Praeside Samuele Rachelio ... in  
Illustri Holsatorum Academia P. P. Disquisitioni publicae submittit Respondens  
Gerhardus Nährman, Lubecensis. a. d. [...] Septembr. In Auditorio Iuridico**

Kiloni[i]: Reuman, 1675

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798481374>

Druck Freier  Zugang





N.N.—Z(78.)

1. Philippi de delegatione.
2. Carpzow de jure sacerdoti circa bona ob defraudatum falsa professione censum in commissum cadentia.
3. Carpzow de restitutione in integrum minorum.
4. Schwendendorfer ius noctis.
5. Idem de jure circa pecudes.
6. Idem de jurisdictione feudali dominica.
7. Idem de exceptione.
8. Baftineller de denunciatione civili, canonica et evangelica.
9. Nicolai de jure terminorum et finium.
10. Reinmann de re trovendendo pactum.
11. Leickherr de eo quod interest.
12. Geiger de eo quod iurum est circa redemtionem anni redditus.
13. Seator de usurpationibus.
14. Lincsen de iuri Justinianei receptione et auctoritate in Germania.  
P. 1. et 2.
15. Gottschalck de matrimonio illicito.
16. Wippermann de commentariensisibus.
17. Pfeffel de fructibus.
18. Gerde de mutuo civitatum.
19. Friedlieb de jure revocandi feuda sine consensu quorum interest alienat.
20. Pafor. elementum aquae.
21. Klein Schmidt de beneficiis inventarii.
22. Woltermann de constitutionibus principum.
23. Holtermann de nequitia advocatorum
24. de receptu rerum. Treher.
25. Frommann de facta seu quasi traditione.
26. Stendorff de officio judicis.
27. Breitsprach de protractione et abbreviatione litis.
28. Rachel de justitia universali.
29. Idem de jurisprudentia.
30. Falchner iura conviviorum.
31. Idem de iuri obreptione.

33. Martini de antichresi.  
34. Wedderkop de moratoria praescriptione.  
35. Struv de dedicatione templorum et altarium.  
36. Finch de iudicio penitorum.  
37. Mühlendorf de aestimatione in genere et in specie de justa.  
38. Strauß de privatione legitimae.  
39. Lederer de iure cursum publicorum  
40. Naevius de gerada Saxonica.  
41. Schulz de aneclogistis.  
42. Petr. Müller de constituto postessorio.  
43. A. Beier de reciproco conventionali. Vom Maßnahmest.  
44. Reijher de intervallo ejusq; iuribus.  
45. G. Engelbrecht de culpa.  
46. P. Müller de securitate metuentium.  
47. Rhodus de dubitante.  
48. Schulzen de commodo propter tertium.  
49. Schulzen de conditione iurisjurandi.  
50. Schubart de ludis equestribus. T. iuriuino.

39.  
D. O. M. A.

EXERCITATIONEM ACADEMICAM

De

# JURISPRUDENTIA

PRÆSIDE

SAMUEL RACHELIO, J.U.D.

Juris Naturæ & Gentium in Illustri Holsato-  
rum Academia P.P.

*Disquisitioni publicæ submittit*

RESPONDENS

GERHARDUS NÄHRMAN,

Lubecensis.

a. d. Septembr.

In Auditorio Juridico.



KILONI.

Excudebat Joach. Reuman, Acad. Typogr. Anno 'cl. lcc. LXXV.

30

**OB**PRÆNOBILI ET SPECTA-  
TISSIMO VIRO,

**D N. GEORGIO**  
de LENGERKEN,  
Reip. Lubecensis Civi æstimatisimo,  
**NATIONISq; ANGLICANÆ**  
Negotiorum Procuratori Integerrimo,  
**DOMINO VITRICO SUO**  
Veri PATRIS loco  
devenerando atque amando,

*Hoc studiorum Academicorum suæq; diligentia spe-  
cimen amoris & honoris ergo dedicat*

filius observantissimus

GERHARDUS NÄHRMAN.

Σὺν ΘΕῷ.

I.

Jurisprudentia qualis sit disciplina, à multis cum Philosophis tum Jctis sed admodum variè disputatum fuit, ut si forsan vel illorum numerus vel autoritas ab hoc argumento me absterreret, ipsa tamen doctrinæ discrepantia saltem ad symbolam conferendam me excitare posset. Quod tantò libenter facio, quò magis necessariam esse Juris philosophiam, nec eam nisi ab imperitis ac inscritis hominibus contemni scio. Qui populariter loquuntur, nunc Scientiam, nunc Artem juris, nunc Intelligentiam, nunc Civilem Sapientiam appellant. Atque iis hactenus quidem accenseri meretur Ulpianus, qui Jurisprudentiam rudi penicillo delineat, quod sit divinarum atque humana- rum rerum notitia, justi atque injusti scientia. l. 10. §. 2. ff. de J. & J. S. 1. Inst. eod. & ibi Bachov. n. 4. &c.s.

II. Ut igitur genuina Jurisprudentiæ natura tantò rectius innotescat, nemo non ex ipso hoc nomine cognoscit, esse illam Prudentiam quandam Juris. De Prudentia igitur quædam ut præmittantur, vel in primis necessarium esse arbitror. Φρέγνοις δὲν ἔξι αἱληθῆς μετὰ λόγῳ πε- εὶ τῇ ἀνθεώτῳ αἰσθά καὶ κακό. Prudentia est habitus cum ratione vera conjunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, qua homini bona & mala sunt. Hanc definitionem cum attulisset Philosophorum princeps σ. Nicom. s. §. 9. mox illam repetit, & ad severanter confirmat his verbis §. 17: ὅς

A

ἀν-

2

ἀνάγκη τὸν Φερόντον εἶχεν ταῖς λόγοις αληθῆ, ταῖς δὲ ἀνθρώπιναις αἰσθαταὶ πεισμένην. Quapropter necesse est, Prudentiam habitum esse, cum ratione vera conjunctum, ad agendum idoneum, in bonis humanis occupatum. Alibi ita eam describit: Φερόντος δέν αἴρεται Διάνοιας, καθ' ἣν εὐ βελεύεται δύναται ταῖς αἰσθήσιν κατατίθενται εἰς εὐδαιμονίαν. Prudentia est virtus rationis, per quam bene consultare possunt de bonis & malis, quae dicta sunt pertinere ad felicitatem. 1. Rhet. 9. Hæ verò definitiones particulatim expendendæ sunt.

III. Primò quidem notum est, Hominem ad diversa munia obeunda à Natura accepisse plures easq; diversas Facultates seu Potentias, cum primis Intelligentem & Appetentem. Utraque hæc ut suo munere rectè, facilè & libenter fungatur, certis habitibus perfici potest: quæ Perfectiones nomine Virtutum veniunt. Itaque Intellectus suis, atque item Appetitus suis, & ab istis diversis, Virtutibus perficitur. Hanc ob causam in Rheticis definitur Prudentia quod sit αἴρεται Διάνοιας, Virtus Intellectus. Quemadmodum verò Appetitus duæ sunt proprietates, διωξίς καὶ οὐγὴ, Persecutio boni, & Fuga mali; ita Intellectus proprietates sunt, κατέφασις καὶ διτόφασις, Affirmatio & Negatio: hoc est, ubi Intellectus ratiocinationem instituit, Veritatem indagat, & illi inventæ adsentitur, Falsum reprehensum rejicit. 6. Nicom. 2. §. 4. Jam vero quinque sunt Habitus, quibus prædictus perfectusq; intellectus Verum in omni materia inquirere, & à Falso secernere potest. De iis ita differit Philosophus: ἐτῶ δὴ οἷς αληθεύεις ή Ψυχή τῷ καταφάναι ή διτόφαναι, πέντε τὸν δειθμὸν. ταῦτα δὲ δέ, τέχνη, θετικὴ, Φερόντος, σοφία, νοέσ. Ac sint sancè quinque numero, quibus Intellectus verum enuntiat, vel ajendo, vel negando: Ars, Sci-

Scientia, Prudentia, Sapientia, Intelligentia. 6. Nicom 3. §. 2.  
Cum igitur Intellectus his quinque habitibus instructus in  
quaque re Veritatem pervidere & ratiocinando colligere  
posit, atque illam probare, Falsitatem respuere norit, ideo  
eadem Prudentia definitur Philosopho per ἔξιν Habitum, &  
quidem ἀληθῆ μὲν λόγος, hoc est, cuius administriculo veritas  
ratiocinando inquiri possit. Quia enim suprà dixerat,  
Intellectum horum habituum præsidio posse ἀληθεύειν, ve-  
rum enuntiare seu dicere; ipsa Prudentia illi describitur ἔ-  
ξις ἀληθής: quemadmodum Ars eidem definitur, ἔξις τὸ  
μὲν λόγος ἀληθεύειν, Habitus quidam effectivus, cum vera  
ratione conjunctus. 6. Nicom. 4. §. 10. Cumq; illa Veritas ex-  
quiratur μὲν λόγος, per ratiocationem, ideo nihil interesse  
puto, sive dicatur, quod Prudentia sit habitus ἀληθής, sive  
μὲν λόγος ἀληθεύειν, quod vel hoc vel isto loquendi modo pla-  
nè idem designari, adeoq; à nonnullis hic in scirpo nodum  
quāri existimem.

IV. Præterea in definitione Aristotelica Prudentia  
dicitur esse Habitus Practicus, & quidem in primis propter  
eius finem, πράξιν. Quæ vox licet interdum latius acci-  
piatur, hic tamen strictè & propriè est intelligenda de Actio-  
nibus moralibus. Quemadmodum enim Intelligentiæ, Sa-  
pientiæ & Scientiæ mera contemplatio veri, Arti ποίησις,  
effectio sive opus, ita Prudentiæ πράξις, Actio pro fine est.  
Itaque licet Intellectus reapse non sit nisi unus, pro variis  
tamen his finibus, alius dicitur Theoreticus, alius Practicus,  
alius Effectivus: propterq; hos diversos fines etiam illarum  
objecta determinantur, quod Theoreticus circa τὰ θεωρήσια,  
res contemplativas, Practicus circa τὰ πρᾶγματα, res agendas,  
Effectivus circa τὰ ποίησια, res efficiendas, versetur. Quæ-  
nam

A 2

nam vero sint illa *πενια*, disertius etiam explicat Philosophus, quando ait esse illa *Bona & Mala*, quæ vitam humanam moraliter consideratam ullo modo felicem aut infelictem reddere possint. Illam obtinebit, si adminiculo Prudentiae *Bona a Malis* recte discernere, atque ista quidem eligere, haec vitare noverit. Bene Eustratius ad cap. s. lib. 6. Nicom. §. 9. Quod additur, circa ea qua & bona & mala homini sunt, illud sane proprium revera Prudentia est, absolvit definitionem, efficit ut cum re definita reciprocetur. Prudentia enim sola est, qua circa ea, qua homini sunt & bona, & mala, versatur: ut bona inveniat atque eligat, quomodoq; ea consequi posse consultet: mala caveat & evitet: quippe cum utraque hac ad Prudentiae virtutem spectent, ut & subjectarum sibi rerum qualitates inveniat, & de modo cogiter ac consultet, quo & consequi & evitare eas optimè posse.

V. Quomodo vero Prudentia circa Bona & Mala vitae humanæ versetur, indicat descriptio Aristotelica ex Rheticis proposita, qua dicitur Prudentiam esse talem Intellectus virtutem, καθ ἡν εὐθείας δύνασαι τέλος ἀγαθῶν καὶ κακῶν εἰς εὐδαιμονίαν, per quam bene consultare possunt de bonis & malis, ad felicitatem pertinentibus. Quæ verba quamvis aliquam lucem ex modò recitatis Eustratii postremis verbis capere possint, majori tamen adhuc illustratione indigere videntur. Prudentiae habitus integrè & perfectè consideratus continet in se quosdam habitus-particulares, putat εὐελιαν, bonam Consultationem, σύνεσιν sive εὐχετερίαν Sagacitatem, & γνώμην, Aequanimitatem. Ipse Aristoteles 6. Nicom. II. §. 5. appellat ἔξεις, habitus: & eod. cap. §. 7. δυνάμεις, facultates.

VI. Εὐελιαν Aristoteles ita definit, quod sit ὁρός οὗτος η

XV

χεῖ τὸ συμφέρεντον πρός τὸ τέλον, ἢν Φρεγνος αἱ ληθῆς ταῦται φίσι. Bona consultatio est rectum quoddam consultationis, ad utilitatem accommodatum, ad aliquem finem relatum, cuius ipsa prudentia est vera existimatio. 6. Nicom. 9. §. ult. Quando Philosophus εὐελιας dicit esse ὁρθότητα, non qualemcumque consultationem vult haberi εὐελιας, etiamsi per istam finis desideratus obtineatur, sed eam demum, quae ita omni parte sit Recta, ut τῷ εὖ τῆς Εὐλης bonitatis consultationis nihil prorsus detrahatur. Itaque εὐελιας & illi inhärentis ὁρθότητα hæ sunt conditiones, ut primò ita consultaturo sit propositus finis bonus, & ab ipsa Prudentia talis judicatus & demonstratus: deinde ut eligat media illi fini consentanea non solum ratione essentialis qualitatis, ut sint honesta, bona ac licita, sed etiam ut ad illum finem obtinendum sint Utilia, convenientia, maximeq; accommodata: tertio ut illa media executioni mandentur seu expediantur tempore oportuno, non præcipitanter, neque nimis cunctanter: & denique ut hoc fiat modo honesto ac decenti. His enim omnibus observatis & Recta erit consultatio, & quoque Bona. Apparet hinc consultaturo finem jam esse certum, adeoq; Consultationem occupari circa Media, quatenus illa ad finem obtinendum Utilia sunt. Finis ille vel est Universalis, vel Particularis: hic particulare aliquod bonum, iste absolutè tale in se habet. 6. Nicom. 9. §. 26. Hoc quidem loco εὐελιας consideramus, ut illa sibi propositum habet finem universalem, & bonum absolutè tale, εὐδαιμονιας, vita felicitatem, qualis illa à Philosopho describitur. Media vero necessum est ut sint ejusdem generis, convenientia, & in potestate deliberantis posita. 3. Nicom. 3. & 6. Nicom. 9. Hinc Gifanius hanc conficit summam: Eubulia nihil est aliud,

A 3

quam

quam rectum consilii, quo ea, quae toti vita sint bona & utilia,  
bona ratione & modo, debitoq; tempore adsequamur. in cap. 9.  
lib. 6. Nicom. in f.

VII. Σύνεσις, Sagacitas, Perspicacia, Intelligentia Hein-  
sio, Docilitas Camerario explicata, est facultas quædam  
promptè catēq; de Prudentiæ dictatis rebusve practicis ad  
civilem vitam bene degendam pertinentibus arbitrandi sive  
judicandi. Huc redit summa cap. 10. lib. 6. Nicom. Signi-  
ficat σύνεσις vim ingenii prompti, ad celeriter percipiendum  
id, quod refertur, & rectè dijudicandum. Quamvis autem  
in iisdem rebus ac negotiis versatur cum Prudentia; non-  
nihil tamen ab hac differt. Nam Prudentia deliberando  
& consultando quærit quid expediat, quæq; actio suscipi aut  
non suscipi debeat: & cum invenerit, statuit atque præcipit,  
quid fieri oporteat. Istud igitur Prudentiæ est munus. Hæc  
autem ingenii vis, quam σύνεσις vocat Philosophus, id quod  
imperatum demonstratimq; est, quale sit, celeriter &  
promptè animadvertisit, & præsente judicio approbat. Ideoq;  
Aristoteles Prudentiam dicit habere instar doctoris, &  
σύνεσις instar discipuli. Si quis enim scitè docet, habetq;  
auditorem ingeniosum & σύνεσις; hic facile discit cognoscendo & intelligendo. Pari modo quod Prudentia monet  
atque jubet, docile & sagax ingenium perspicit statim judi-  
cando quale sit, cum approbat intelligendo.

VIII. Γνώμη, Sententia, sive Aequanimitas describitur  
Philopo, quod sit ἡ τῆς ἐπιτέλης κέντος ὁρθή, Rectum judi-  
cium aequitatem amantis, facilis cordatiq; viri. Hæc facultas,  
perinde uti σύνεσις, est κέντη, ad Intellectum pertinens.  
Ait autem Aristoteles, hoc judicium debere esse rectum,  
hoc est, ut non temerè affectetur Aequitas, sed veris & gra-  
vibus

7

vibus causis sit subnixus, qui in illam propendet. Quemadmodum autem ipsa *Æquitas* differt à stricto jure; ita γνῶμη se habet ad σύνεσιν. Hæc enim de prudentiæ præceptis simpliciter ita judicat, uti in se sunt: Istius vero iudicium uti est mite & benignum, ita quoque ad æquitatem iis in causis prona est, quæ ex æquo bono dijudicari merentur. Illa *Æquitas*, quæ stricto juri contra distinguitur, solet emendare jus legitimum, adeoq; de iis Legibus, quas alii tulerunt, judicare solet. ῥώμη vero in iis, quæ ab aliis facta sunt, versari dicitur, quatenus illa benigna censura excipi, veniamq; mereri videantur. Quām postremam differentiā suppeditat Paraphrastes Græcus cap. 12. lib. 6. Nicom. p.388. editionis Heinsianæ Lugdunensis.

IX. His Prudentiæ partibus miscit Aristoteles νέον, Intelligentiam, habitum illum principiorum: quæcum sint vel theoretica, vel practica, procul dubio hæc postrema ad perfectionem Intellectus Practici non parum faciunt, & insignem aliquam Prudentiæ partem constituunt. Hæc igitur sunt εἰδήσις sive δυνάμεις περιηγητική solidæ Prudentiæ: de quibus ita colligit Philosophus σ. Nicom. 11. §. 5 εἰδήσις δὲ πάσου οἱ εἰδήσις αὐτοὶ εἰ λόγως εἰς ταῦτα τελεσθαι. Atque est rationi consentaneum, omnes hos habitus eodem pertinere. In hæc ita commentatur Eustratius: Cum igitur res ipsas disponit quispiam, atque ad finem rectè dirigit, Prudens: cum rectè dispositas directasq;, atque ad finem ad quem oportebat perductas fuisse eas judicat, Perspicax vocatur. *Æquanimus* vero appellatur, cum personis, rebus, causis, &c modis accommodata iudicia exercet. Paraphrastes vero his verbis eadem illustrat: Idem namq; homo, cum ea, quæ ad bonum finem tendunt, agit, Prudens est. Cum vero de iis ut oportet deliberat, bene

bene consultus dicitur. Cum vero, quæ ad bonum finem ordinavit & disposuit, cognoscit, recteque, & ut fieri oportet, de iis judicat, intelligentia (ouvéσει) prædictus dicitur. Cum vero, quæ ab aliis facta sunt, recte considerat, eaque venia interdum prosequitur, quoties nimirum hoc merentur, tunc εὐγνώμων & οὐγνώμων vocatur. Hæc de Prudentia in genere dixisse sufficiat. Plura qui desiderat, adeat Aristotelem, qui de illa multa non solum subtiliter, sed & quædam perobscure tradidit, sic ut quidem doctissimos Interpretes facem circumferre, veritatem autem vix illis alluxisse videas.

X. Gradum deinceps promovebimus ad investigandas Prudentiæ species, ejusdem Philosophi ductum securi, quamvis per salebras tenebrasq; incidentis. Antequam vero ad illas species nos deducat, hæc præmittit σ. Nicom. 8.  
 §. 1. ἐπὶ δὲ τῷ οὐρανῷ, τῷ οὐρανῷ Φεγύνοις, οὐρανῷ μάρτιον εἴχει. τὸ μάρτιον εἶναι, & τὸ αὐτὸν αὐτῆς. Civilis Scientia autem & Prudentia sunt illæ quidem idem habitus: sed natura, qua sunt tamen & essentia, non est eis eadem. Ita hæc interpretantur Dion. Lambinus & Matthias Bergius: priora bene, posteriora male. Primò enim hic dispiciendum est, quid Philosopho hic significet οὐρανόν. Recte illi videntur hoc accepisse de Scientia politica: quomodo etiam hoc vertit Andreas Hyperius in suo commentario. Quibus accedere videntur Jo. Argyropylus, Camerarius & Magirus, qui τὴν οὐρανὸν interpretantur per Facultatem civilem, significantes procul dubio hac voce ipsam disciplinam Politicam, sicuti etiam illam manifestè explicant Thomas & Acciajolus. Eustratius, Paraphrastes Græcus, aliiq; hoc veluti quoddam ulcus ne quidem attingunt. Quid autem οὐρανόν verè hoc loco denotet, & qua ratione opponatur hic Prudentiæ, puto ex ipso

9

ipso Aristotele rectissimè posse declarari. Ille enim Capite proximè præcedente Septimo cum doceret, quid sit Sapientia, jamq; ostendere vellet, quomodo illa & à disciplina Politica & à Prudentia differret, Sapientiam dicit his esse multò præstantiorē & honoratiōrem scientiam, moxq; hæc adjicit verba §. 7. ἀτομον γὰρ, εἴ τις τὴν ἐπισήμην πολιτείαν, ή τὴν Φεγύντιαν πολεμοτάτην οὔται εἴναι. Absurda enim fuerit ejus sententia, qui Scientiam civilem aut Prudentiam omnium optimam esse putet. Circa hunc textum malè se gerunt Scholiaستes, & Paraphraستes Græcus, eumque penitus pervertunt. At Latinus interpres vetus, Thomas, Argyropolus, Camerarius, Gifanius & alii τὴν ἐπισήμην πολιτείαν propriè accipiunt, & de ipsa disciplina Politica interpretantur; hanc enim Philosophus manifeste Scientiæ nomine appellat 1. Nicom. 2. §. 4. 5. 7. & 10. Unde rectè in textum ex 6. Nicom. 7. §. 7. ita commentatur P. Victorius: Observandum, quod cum in proœmio horum librorum ἐπισήμην πολιτείαν appellari in universum totam Philosophiam Ethicam, quatenus in civili societate versatur; hic quoque locus eodem modo intelligi posset, ut sit sensus: absurdum fore, si quis vel civilem facultatem in universum, vel Prudentiam Sapientie preferre velit.

XL. Qui à verissima hac sententia abeunt, eamve dubiam faciunt, sui erroris vel opinionis hanc habent causam, quasi rerum practicarum nulla detur scientia. Philosophiæ enim practicæ, quæ tota Aristoteli τῆς πολιτείας nomine venit, finem non theoriam, sed praxin: & objectum scientiæ esse universalia, resq; necessarias, τὰ περικλεῖα seu actiones humanas esse singulares & contingentes, inquiunt. His igitur occurrentum, resq; omnis accuratiūs explicanda est,

est, quod ex sequentibus hinc nonnulla sint derivanda. Primo igitur illud certum esse concedent omnes, qui philosophiae praeceptis vel leviter sunt imbuti, longe differre cognitionem à cognitione probabili. Illa Scientiam, hæc Opinionem producit. Illa Veritatem certam & indubitatem ostendit, hæc cum formidine oppositi conjuncta est. Ista intellectum penitus convictum tenet: hæc eum quidem ad alteram contradictiarum magis inclinat, ut tamen ille nutet ac dubius quodammodo vacillet, jam vero quis dixerit, de rebus practicis nihil nos indubitato scire posse, sed tantum opinione cum formidine oppositi duci? Hoc certè si quis dixerit, omnem Legum autoritatem evertet, quæ maximè sunt certa reddet incerta, & alicipi saepe Probabilitate suspendet, quæ absque peccato fieri aut omitti nequeunt, nisi mens omnino sit certa. Si homicida sententiâ Judicis capite plecti jubeatur, quis quæso dixerit, Judicem Legis normam secutum mera opinione ductum suisse? si depositum, commodatum aut mutuum repetatur, quis dixerit, depositarium, commodatarium, aut debitorem sola opinione ad hæc reddenda constringi? Sexcenta ejus generis alia possent adferri.

XII. Si igitur nemini non hæc videbuntur esse absurdâ, videamus jam præterea qualis sit materia practica. Cum enim Scientia per demonstrationes veritatem exhibeat, & vero per illas ex certis principiis affectiones de subjecto ostendantur, de hujus conditione constare oportet, ut hinc simul intelligi queat, an illud scientiæ & demonstrationum capax sit. Constituunt igitur materiam practicam Actiones humanæ morales & civiles, de quibus ex principiis practicis demonstrari possunt hæc affectiones, quod sint vel Honestæ vel

vel Turpes, Justæ vel Injustæ, Temperantes vel Intemperantes, & similes aliæ. Non vero hic sunt intelligendæ Actiones singulares Titii, Sempronii: quomodo verbi gratia Caius cum Caja adulterium, aut Mævius furto quid Sempronio subduxerit; sed in genere quatenus ita sub universalí Legum obligatione sunt comprehensa. Quamvis enim Demonstrationum longa series neci, & postrema earum tandem conclusione aliqua singulari terminari possit, & ex ejusmodi plurimis demonstrationibus particularibus integra disciplina *enīσημονικὴν* coacervetur, atque ita etiam ex multis demonstrationibus practicis Scientia Politica congeratur; eo tamen modo Actiones in illa sunt considerandæ, & pro subjecto hujus Scientiæ habendæ, quatenus notionem Universalium recipiunt, & ex obligatione Legum etiam necessitatem moralem consequuntur. Ita enim fiet, ut etiam hæc Scientia circa Universalia & suo modo necessaria sit occupata. Ea ratione si demonstravero, Incestum, Adulterium, Furtum, & similia facinora in genere considerata esse illicita, turpia & injusta, sine ulla hæsitatione per istiusmodi *διδεῖξεις* certus esse, &, si res ita ferat, illas ad singulares actiones, putà incestum Titii, adulterium Caji, Furtum Mævii producere possum.

XIII. Dixi Actiones humanas morales civilesq; constituere subjectum scientiæ Politicæ, universalí notione intellectas, & quatenus illæ obligatione Legum ad certum finem diriguntur. Si enim illas absolutè & in se spectes, propter libertatem, qua in agendo gaudent homines, sunt merè contingentes. Sed cum Deus hominem non voluerit vagam & qualemcumque agere vitam, adeoq; quod libet non protinus liceat, certum illi finem præfixit, ad quam

actiones suas componeret atque dirigeret: à quo ut tanto minus illæ aberrarent, libertatem appetitus naturalem Legibus constrinxit, quarum obligationi cum obsequium præstandum esse dictet Ratio, illæ demum actiones erunt justæ, quæ Legum regulis conformatae fini naturali respondent, eoq; collineant. Quæcunque igitur actiones ad finis istius consecutionem perse faciunt, ad illas persequendas, tanquam sua natura honestas justasq; nos obligatos esse existimabimus: è contrario quæcunque actiones viam ad illum finem consequendum obstruant eiq; officiunt, suaq; natura adversantur, ad eas, tanquam turpes suaq; natura injustas, fugiendas nos obligatos esse existimandum est. Hominem hic considero, Φύσις Ἰών τολετικὸν, naturā animal civile, adeoq; finem illi, qua tali, convenientem, felicitatem civilem, quæ est εὐπείρεια, operatio secundum virtutem. Nam si illum juxta divinorem sui partem quis consideret, contemplatio rerum divinarum: si ut Renatum, Vita æterna illius finis erit.

XIV. Quia vero Actiones humanæ ita demum sunt Scientiæ Politicæ subjectum, ut illæ nexus obligationis sive à legibus continentur, & ad certum finem diriguntur; necessum jam est illas Leges paulum contemplemur, quandoquidem ex illis, tanquam genuinis & domesticis principiis demonstrationes practicæ petendæ sunt. Illarum Legum omnium cum non æquè sit necessaria & perpetua obligatio, accidit etiam, ut demonstrationes etiam practicæ varient, & aliæ primo, aliæ secundo, aliæ tertio loco subsistant, ut evenire solet iis in rebus, quæ a Q' evos dicuntur Philosopho, vulgo Analoga. Primo in genere de Legibus notari meretur insignis textus Philosophi.  
Rhet.

Rhet. 17. ὁ νόμος ἡμέτερος ἐν τοῖς δικαινοῖς. ἔχοντα δὲ ἀρχὴν  
πάντος εὐγενοῦς δικαίου. Lex fundamentum est in judicialibus.  
Qui vero habet principium, eam facilius est invenire demon-  
strationem. Sicuti igitur Lex est regula actionum huma-  
narum, ad cuius normam illæ componi debent; ita Judex  
easdem secundum eandem normam examinat & dijudicat,  
an illi conformes sint, nec ne, justas vel injustas pro-  
nuntians. Hoc principium vivendi, Legem, dicit esse  
principium demonstrandi, Philosophus.

XV. Accedamus jam ad Legum divisionem. Sunt  
illæ vel Naturales, vel Arbitrariæ. Hæ sunt vel Divinæ,  
vel Humanæ. Utræque vel Publicæ vel Privatæ. Naturale  
sunt à Natura, hoc est, interprete Justiniano §. 11. Inst.  
de J. N. G. & C. à Prudentia divina, naturæ hominis  
sociali ac rationali planè convenientes, eumq; ad finem  
naturalem proprium ducentes, ipso lumine naturæ etiam  
cognoscibiles. Sunt vero illæ Leges Naturales vel Universales,  
vel Speciales. Illis obligantur omnes homines, quæ  
tales. His obligantur non omnes homines simpliciter,  
sed qui vivunt in societatibus naturalibus specialioribus, &  
pro varia illarum societatum conditione ad specialia officia  
finesq; speciales obstricti sunt. Ita in societate conjugalī  
specialibus legibus conjuges: & in paterna, parentes & li-  
beri item aliis legibus sunt obligati: quatenus vel sunt con-  
juges, vel parentes, vel liberi. Harum Legum omnium  
maxima est autoritas, non solum quod Deum habeant au-  
torem, sed quod ab illius æternâ justitia tanquam radii  
emissi autoritatem quoque in se habeant æternam, irre-  
fragabilem, incorruptibilem atque immutabilem.

XVI. Leges Arbitrariæ, quæ quidem merè sint ta-  
les,

Ies , cum à libera voluntate proficiscantur , & non ex sui  
 objecti qualitate , interna illa æternaq; bonitate , sed ex  
 subjecti seu Legislatoris arbitrio & placito obligationem  
 capiant, neque ad perpetuo duraturam Honestatem , sed ad  
 non raro mutantem Utilitatem sint comparatae , non parem  
 cum Naturalibus omnino autoritatem , constantiam ac per-  
 petuitatem habent. Est tamen vicissim magna inter Le-  
 ges Arbitrarias Divinas & Humanas differentia. Divinæ  
 enim semper sunt aut fuerunt justæ , nunquam certè potue-  
 runt esse injustæ , & Naturalibus adversæ , nisi absurdè ve-  
 lis statuere , Deum æternæ suæ Justitiæ aliquando libera  
 voluntate contraria jura condidisse , adeoq; sibimet contra-  
 riū fuisse. At Humanarum legum arbitrariarum multum  
 dispar est ratio. Hæ enim si à bonis & prudentibus Legis-  
 latoribus sunt latæ , nihil unquam continebunt , quod Na-  
 turalibus queat esse inimicum vel aduersum. Si vel im-  
 prudenter , vel malitiose & iniquè sint latæ , non solùm  
 quædam ex his sunt inutiles & publicè aut privatim detri-  
 mentosæ , sed etiam nonnullæ vel omnino , vel ex parte  
 Naturalibus possunt esse contrariae. Quia vero Leges  
 Arbitrariae Humanæ proximam obligationis causam habent  
 à voluntate libera Legislatorum , & tamen vim juris arbi-  
 trarii omnis sustinet ac suffulcit Juris Naturalis autoritas ,  
 præcipientis , quod ad leges publicas , Justè imperantibus  
 esse obedientiam præstandam: quod ad privatas , Fidem  
 datam esse servandam; ideo illæ leges humanæ , quæ vel  
 omnino vel ex parte Naturalibus repugnant , hoc Juris  
 Naturalis fulcro ac præsidio destituuntur , intercedenteq;  
 hujus autoritate optima maxima , talium legum arbitrari-  
 arum nulla est obligatio , nulla autoritas.

XVII.

XVII. Quamvis autem Legum Naturalium sit præcipua & æterna autoritas, non tamen omnium omnino est eadem ratio, saltem habito respectu ad hominem, & promulgationis modum gradusve. Cum enim omnes Leges tum demum cum effectu obligent, ubi fuerint promulgatae, etiam Naturales promulgatione indigent. Hæc promulgatio fit per Rectam Rationem practicam, id est, quæ Prudentia est perfecta: quæ ideo Rectitudo rationis seu ipsa Recta Ratio à Philosopho vocatur. *6. Nicom. 13. §. 18. & 21.* Jam vero quædam Leges Naturales sunt tales, ut illarum propositiones non nisi uno modo & plenè promulgantur, sic ut omni tempore & casu ita promulgatae sint sine exceptione veræ, & ut quodlibet factum singulare, quod quidem sub istiusmodi Legis subjecto contineatur, per istiusmodi legis promulgationem vel tanquam Justum sit præceptum, vel tanquam Injustum vetitum. Talis est illa lex generalis præcipiens: Honesta sunt facienda. Et illa vetans: Turpia sunt fugienda. Talis est illa lex præcipiens: Temperantiae est studendum. Tales sunt hæc vetantes: Incestus, adulteria & stupra sunt turpia & vitanda. Talis est lex præcipiens: Damnum alteri dolo & injuria non est inferendum. Et illa vetans: Furtum non est faciendum. Hæc enim Leges, & quæ his sunt similes, ejus sunt generis, ut illarum obligatio nunquam deficiat, sed omni tempore & casu, modò is Legis subjecto contineatur, & rectè admicculo Prudentiae subsumatur, vim suam exserat, adeoq; semper & quovis casu veræ sunt & obligantes. Quippe nullo casu incestus, adulterium, stuprum, sodomia, furtum & similia facinoraistarum legum obligationi eximi, ullove casu vel tempore licita aut justa fieri possunt.

## XVIII.

XVIII. At multarum Legum Naturalium non omnino  
eadem est ratio. Hæ enim generaliter à recta ratione pro-  
mulgatae habent instar necessiarum & perpetuò verarum  
propositionum, quoties scilicet Intellectus practicus illas ab-  
solutè considerat, & à circumstantiis singularibꝫ, quæ varia,  
rarò tamen, oboriri circa illas possunt, contemplationem  
suam abstrahit. Quando hæ circumstantiæ fortè obori-  
untur, tunc his simul adhibitis & examinatis, Recta Ratio  
pleniorem promulgationem legum naturalium facit, legem  
interdum cum lege comparat, unam per alteram interpre-  
tatur, & pro renata vel supplet, vel limitat & restringit.  
Tales sunt hæ leges: Promissa sunt servanda, Depositum  
est reddendum. Hæ enim absolutè & citra circumstantias  
singulares promulgatae, æternæ & necessariæ veritatis instar  
habent. Quod si vero circa promissum aut depositum  
istiusmodi circumstantia oboriantur, ut hac simul adhibita  
& considerata Recta Ratio sub istis propositionibus Majori-  
bus, factum tali circumstantia prædictum Minoris loco sub-  
sumere nequeat, tunc istæ Leges talibus casibus fiunt con-  
tingentes: at quia illud rarò fit, & absolutè consideratae  
plerumque veræ sunt, ideo plerumque contingentes hacte-  
nus, absolutè autem spectatae semper veræ sunt. Ita nun-  
quam non Recta Ratio verā agnoscat hanc legem naturalem;  
absolutè & citra circumstantias merè contingentes eamq;  
adficientes consideratam, Depositū esse reddendum: quam-  
vis accidat ei, & quidem rarò, ut furioso gladius depositus  
non sit reddendus. Ubi enim istiusmodi circumstantia  
deposito fuerit adhibita, Recta Ratio aliam quoque legem  
promulgat, cædem & damna nullo modo esse promoven-  
da, adeoq; ex hujus legis promulgatione alteram illam,

Deposi-

Depositum est reddendum, limitat hoc modo, nisi periculum sit, reddito deposito tanquam instrumento injusitiæ aut damni abusurum esse depositorem. Toties enim, quoties istiusmodi circumstantia emergit circa talem legem, sit per illam contingens: at quia hoc raro sit, & plerumque suam vim & obligationem exserit, plerumque contingens dicitur, ut tamen citra hunc respectum ad talia singularia, raro, & quasi per accidens Legi ita evenientia, perpetuam veritatem habeat, & prædicatum subjecto adhærere & inesse plerumque malit, quam ab illo interdum dirimi. Tripli enim modo aliquid contingens dicitur, raro, æqualiter, & plerumque contingens. Raro contingens est, piscatorem ex aquis aureum tripodem extrahere. Æqualiter contingens propositio dicitur, cuius prædicatum æquè aptum est, ut à subjecto absit, quam ut cum illo connectatur: ut si dicam, Titius legit, ambulat. Plerumque contingens propositio dicitur, cuius prædicatum mavult adhærere subjecto, quam ab illo divelli. Postremi generis sunt Leges naturales paulò ante propositæ, & quæ iis sunt similes, quarum veritas plerumque obtinet, ut tamen interdum illas contingentes efficiant *m̄ uab' ēkasū*, singularia, & circumstantiæ.

XIX. Atque hoc est quod Aristoteles docet *2. post. Anal. c. 27. edit. Pac.* his verbis: *Fortuita rei non est Scientia per demonstrationem. Fortuitum enim nec est necessarium, nec plerumque evenit, sed est id, quod præter hæc sit. Demonstratione vero est horum alterius. Omnis enim syllogismus efficitur vel per necessarias propositiones, vel per eas quæ plerumque vera sunt. Et siquidem propositiones sunt necessariae, etiam conclusio est necessaria. Sin autem plerumque sint vera, etiam*

C

con-

conclusio est hujusmodi. Quocirca si fortuitum nec plerumque est, nec necessarium, non potest esse ejus demonstratio. Hæc velim notari cum primis ab iiis, qui monstrum esse putant, si Scientias etiam Practicas dici audiant. Neque enim temere hæc Philosopho excidisse credendum est, qui hæc illo opere proposuit, quo ex instituto Scientiæ & demonstrandi methodum tradere voluit. Quin etiam idem ille docet 6. Metaph. 2. vel secundum græcam editionem Sylburgii s. Metaph. 3. ubi his utitur verbis: ἐντικῆν μὲν γὰρ τὰς, οὐ τὰς αἰτίας, οὐ τὰς ὁμολογίας. Omnis scientia ejus est, quod aut semper, aut ut plurimum est. Sed & i Eundem. 6. in eandem sententiam differit. Rationes, inquit, in unaquaque methodo vel philosophicè, vel secus adhibentur, quæ etiam in politicis, (Philosophia practica) haut supervacuè ita accommodantur, ut non solum quid, sed quare quid (quod Philosophi est proprium) intelligatur. Qui textus Philosophi quomodo sint intelligendi: & quomodo de illorum veritate constare queat, ex superioribus liquet, quæ etiam his Ciceronis verbis illustrati poterunt ex 3. Offic. circa finem. p. 536. mea edit. Ergo & promissa non facienda nonnunquam. Neque semper deposita reddenda sunt. Si gladium quis apud te sane mentis deposuerit, repeatat insaniens; reddere, peccatum sit: non reddere, officium. Quid, si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, redde ne depositum? non credo. Facies enim contra Remp. quæ debet esse charissima. Sic multa, quæ natura honesta videntur esse, temporibus sunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate (quam ille semper cum Honestate copulat) sunt non honesta.

XX. His ita cognitis, videamus jam distinctè, quales demon-

demonstraciones cuiusque generis Leges suppeditent, & ex his principiis qualis scientia practicarum rerum colligi posuit. Naturales quod attinet, duplicis generis illas esse accepimus. Quarum illæ, quæ semper ac necessariò veræ sunt, solidam ac indubitatam scientiam generant. Quia enim harum prædicatum indissolubili ac perpetuo nexus cum subjecto cohæret, ideo his principiis si quis usus fuerit, primi generis demonstrationem conficiet, per quam Intellectus Practicus reddatur omnino certus, *ā uīn]ō* & *ā pēn̄t̄w̄lō*. Contumelia ergo est adversus Deum, lucem discerentem honesta & turpia, inditam mentibus nostris divinitus, principia practica & demonstrationes practicas velle delere, sublata certitudine. Non dicas falsum testimonium, inquit vox divina: Non delectemur corruptelis veritatis, nec queramus præstigias ad eam eludendam. Est omnino vera aliqua doctrina, & certa de Moribus, exstructa ex illa luce, divinitus insita humanis mentibus, seu ex legibus naturæ. Ut mens ipsa sua tuce cernit hanc propositionem veram, certam & immotam esse, Bis quatuor sunt octo; sic vera, certa & immota est hæc sententia: Adulterium est turpe & vitandum. Verba sunt sapientissimi Melanchthonis in Epistola ad Arnoldum Burenium, Enarrationibus in aliquot Aristoteliſ libros Ethicos præmissa, Anno 1545. scripta.

XXI. Posterioris vero generis Leges Naturales cum ita sint comparatae, ut quidem prædicatum illarum subjecto plerumque adhæreat, adeoq; certam ac immotam scientiam plerumque generet; quia tamen interdum propter singulares facti circumstantias illarum obligatio suspenditur aut restringitur: ideo ex hujusmodi principiis collecta demonstratio Intellectum Practicum plerumque reddit certum,

C 2

inter-

interdum vero propter evenientes singularis facti circumstantias harum quidem legum obligatione se constrictum non sentit, ut tamen ex alitis ejusdem legis naturalis obligatione, circumstantias talis facti adficiente, limitationem seu interpretationem recipiat. Unde liquet, *πόδειξη* & Scientiam ex his Legibus naturalibus arcessitam, certitudinis aliquo gradu ab illa distare, quæ ex primi generis legibus colligitur, idq; evenire propter materiae moralis seu factorum humanorum varietatem: quibus ita variantibus Legum naturalium saepe plenior & accommodatior promulgatio à Recta Ratione attemperanda, atque ex legibus tali modo promulgatis alia conclusio elicienda est, quam alias plerumque ex iis legibus, citra istiusmodi facti quodammodo devii circumstantias consideratis, sequi solet, vel oportet.

XXII. Transeamus ad Leges Arbitrarias: quæ cum sint vel Divinæ, vel Humanæ, habent illæ aliquid commune, aliquid vero etiam proprium. Commune utrisque est, quod illarum obligatio non ex natura objecti, sed libera Legislatorum voluntate suum ortum habeat. Proprium est, quod Divinæ leges arbitrariæ semper sint justæ, legibusq; naturalibus, & in primis Æternæ, nunquam adversæ: hæ vero saepe his obnitantur ac repugnant. Cujus tamen generis humanæ leges quæ sunt, ex instituto seu consilio Legislatorum, aut pravo civium usu, Leges quidem esse perhibentur; absolutè vero spectatæ & cum Legibus Naturalibus commissæ, vim Legum nec habebunt unquam, nec habuere ullam. Quippe Legum arbitrariarum humanarum obligatio originem quidem habet à voluntate Legislatorum, ut tamen illarum autoritas Legum naturalium præsidio fulcienda

cienda & firmanda sit. Si enim quæras, cur publicis Legibus humanis arbitrariis obedientia à civibus sit præstanda? hoc responsū primò feres, quia illæ ab eo vel iis sint profectæ, qui potestatem nomotheticam justè adepti, nec ea injustè usi sint. Denuo si quæras, cur iis, qui nomothetica potestate prædicti sint, & illorum voluntati Legibus expositæ mos sit gerendus, hoc responsum audies, quia Lex naturæ jubet, ut non injusta imperantibus obedientia præstetur: quibus qui obliuetur, illum eversum ire divinum ordinem. Si quæras, cur legibus privatorum, Pactis inquam & conventionibus privatis, sit parendum, primò quidem respondebitur, quia libera voluntate ad certas præstationes privati, aut more privatorum etiam alii, se obstrinxerunt: deinde quo d'istiusmodi conventionum autoritatem fulciat ac sustineat hæc Lex naturæ, Fides data est servanda.

XXIII. His ita præmissis, alibi vero à nobis exquisitiū propositis, mox evidentiū constabit, qualis certitudo ex Legibus arbitrariis colligi à Prudente possit, Apodictica, an vero sequior. Amandabimus vero hinc omnino illas pro Legibus venditatas propositiones Legislatorum hominum, quæ Juri Naturæ contrariantur, & tantum illas considerabimus, quæ illi Juri vel determinationem addunt, aut præter illud aliquid constituunt. Sive igitur hæ Leges fuerint Divinæ, sive Humanæ, id facile appareat, in se & citra respectum ad Rempublicam vel populum subditum spectatas, tam liberè ferè illas posse mutari aut abrogari, quam libere illæ fuerunt latæ & conditæ: ut adeò harum Legum non sit simpliciter necessaria, perpetua & immutabilis obligatio. Interim quāmprimum, & quandiu constat, Legislatorem voluisse aliquem Legem proponere, &

pro Lege observari , nec materia illius legis seu objectum fuerit mutatum , sed sub istius Legis propositione universali debita & conveniens facta fuerit assumptio , facti fortè singularis , sub Legis subjecto ex dispositione Legislatoris comprehensi , quis quæso Prudens tunc de certitudine conclusionis , hanc vel illam actionem à Lege ceu justam vel approbari , vel ceu injustam damnari , dubitabit ?

XXIV. Sed seorsim Leges Divinas arbitrarias inspiciamus . Illæ sine omni vel cunctatione vel hæsitatione ad sensum Intellectus extorquent , eiq; fidem faciunt certissimam , sic ut nulla demonstratione opus sit ad illarum veritatem ostendendam , quamvis aliis rebus practicis demonstrandis hæc principia grande adminiculum præbere possint . Qua de re videatur Grotius i. de. J. B. P. c. i. n. ult. Si quis igitur non fuerit ~~ālētū~~ , sed vel solo naturæ lumine cognitum habuerit , Deum esse numen sanctissimum & justissimum , eumq; non posse injusta velle , justave nolle , neque suam essentiam contrarii naturali juri scitis posse aut velle destruere ; is leges divinas arbitrarias ad se ex voluntate divina libera attinentes , obsequiosa veneratione excipiet , fidem indubitatam iis tribuet , & actionū sub illarum obligatione comprehensarum regulam existimabit præcipuam atque immotam . Etsi enim Legum Naturalium non minor sit autoritas , neque illæ minus certum mereantur ad sensum , quæ Leges divinæ arbitrariæ ; quatenus tamen illæ lumine rationis per Intellectus Practici ~~didivit~~ recte instructam sunt cognoscenda , hæ vero ex verbo divino revelato innotescunt ; utique saltem in modo cognoscendi magnum est discri men . Nisi enim illa ~~didivit~~ omnibus necessariis præsidii suffulta sit , non solum magna

magna cum difficultate , sed & periculo , in conquirendis principiis aut demonstrationibus Practicis occupata est: cum è contrario verbum revelatum , canonicis S. Scripturæ libris comprehensum , autoritate divina subnixum , Leges etiam divinas arbitrarias exhibeat , regulas actionum indubitabiles.

XXV. Leges arbitriæ humanæ , quamdiu Legislatorum , à quibus illæ profectæ sunt , voluntas , & materia moralis , sub illarum obligatione comprehensa , non fuerit mutata , vel obscurata , etiam Intellectum Practicum non sinnunt esse ancipitem , sed immota hactenus certitudine constrictum tenent . Ita v.g. quis dubitet , post latam l. 2. C. *dere-scind. vend.* si quis ultra dimidium in emptione venditione fuerit læsus , posse illum agere ad rescindendum hunc contractum ? At quoties voluntas Legislatoris dubia est , aut obscura , quod forte verba legis non satis sint liquida ac diserta : aut forte circa materiam dubitatio occurrat , quas actiones , causas vel negotia Legislator Legis suæ obligatione comprehendere voluerit , aliis eam nimis coarctantibus , aliis nimium producentibus : tum certe Intellectus practicus apodicticè certus esse nequit ; nec tamen omnino ancipiti hesitatione suspensus libratur , sed modo rationum , modo Doctorum , modo praxeos autoritate & momento impulsus in verisimillimam , æquissimam & tutissimam sententiam inclinat . Si igitur queratur , an d. l. 2. beneficium quoque locum habeat in aliis bonæ fidei judiciis , imo an etiam in rebus per transactionem compositis ; tantum abest , ut apodicticè certus esse hac de re possis , ut alii præsumant maximè probabiliter , voluisse Legislatores etiam illam legem produci ad alia bona fidei judicia : transactio-

factionem vero quod attinet, alii ut id pernegerent, per l. 78, § fin. ff. ad Sct. Trebell. alii vero propter grave æquitatis pondus illud adfirment. Interim quoties nulla istiusmodi de voluntate legislatoris, obligatione legis, quam latè pateat nec ne, neque de materia morali occurrit dubitatio, non potest non Intellectus Practicus esse certissimus. Si quis igitur pater hodie filium absque elogio exheredet, nemo dubitat, illius testamentum saltem irritum esse pronuntiandum. Vinn. ad pr. Inst. de inoff. test. n. 3. Brunn. Exerc. 12. ad pr. tit. 18.

XXVI. Denique circa Demonstrationes practicas etiam hoc est monendum, illarum naturam multum esse diversam à theoreticis. Cum enim Demonstrationes in universum sint arcessendæ ex principiis, atque hæc sint vel theoretica, vel practica; istis etiam improbus homo & malè educatus ad sensum præbebit, his vero non nisi probus beneq; educatus. Itaque de Demonstrationibus practicis locutus indicavi, eas ita fieri debere, quomodo illas instituturus sit Prudens. Atque ipsius Prudentiae cum in subjectis sint gradus, alii rectius ac felicius aliis istiusmodi demonstrationes conscient, & conclusiones cum suis principiis contexent. Si quis igitur mihi objicerit, Leges divinas Arbitrarias nullas suppeditare demonstrationes, quod ab eo quidam omnem Numinis reverentiam atque autoritatem ludibrio habeant; is pro homine monstrum, aut pro sanæ mentis homine insanum mihi ostentat. Pari ratione si quis sit pravo & distorto ingenio, atque insuper omnem culturam ac educationem bonam neglexerit, vitiis ac voluptatibus se mancipaverit; is certè vel primis principiis Juris Naturalis ad sensum non tribuet. ἐπι γαρ η κακία φθαρ-

Φιλοσοφίην ἀγενῆς, Vitium enim principii delendi ac perimenēdē  
vum habet. 6. Nicom. s. §. 16. Numquid vero ea re peribunt  
omnino Demonstrationes practicæ, Prudentiū; hæc vitæ  
humanæ præsidia eripentur? Nequaquam. η γὰς ἀγενῆς  
μοχθησία τὴν ἀγενήν, η πάπ Φθείρει. η δέ, σωζει. Nam ut virtus  
principium tuetur & conservat; ita vitirositas perdit atque  
extinguit. 7. Nicom. 8. §. 12. Quemadmodum igitur non  
eadem dulcia sunt febricitanti & valenti, neque idem cali-  
dum videtur debili, & corpus firmum beneq; constitutum  
habenti; ita quoque idem in moralibus rebus usu venire  
videas. Quapropter in his id videtur verum, bonum  
justumq; vel injustum esse, quod viro Bono & Prudenti  
tale videtur. Sicuti enim ipsa virtus: ita quoque Vir Bonus  
illarum rerum est κανὼν καὶ μέτρον, norma & mensura. 3.  
Nicom. 4. §. 8. seqq. 10. Nicom. 3. §. 31. & 32. & cap. 5. §. 42.  
6. 6. §. 17. 9. Nicom. 4. §. 9.

XXVII. Si quis etiam id moverit, ipsum Aristotelem in Analyticis docere, quod Demonstratio debeat  
deduci ex principiis primis & indemonstrabilibus, atque  
tales in rebus moralibus non dari; is duplarem errorem  
committit: unum, quod Juris scientiam planè destitui exi-  
stimet principiis quibusdam primis & immediatis. Alterum,  
quod putet, nullam esse demonstrationem, nisi ex pri-  
mis & immediatis principiis derivatam. Quemadmodum  
enim multa alia, ita quoque Demonstratio & Scientia dieun-  
tut αὐτὸς εἰδὼς εἴη. Etiamsi igitur princeps Demonstratio  
sit illa, quæ ex primo & immediato principio processit;  
sunt tamen etiam verae Demonstrationes & Intellectum  
certissimum reddentes, per varias conclusiones ulterius de-  
scendentes atque progredientes. Hinc ipse Philosophus r.

D

Topic,

*Topic. 1. ait: quod Demonstratio sit, cum ex veris & primis Syllogismus constat: vel ex ejusmodi, que à quibusdam veris & primis sui cognitionis principium sumpserunt. Et 1. post. Anal. 2. ait, quod propter prima sciamus posteriora, iisq; ad sensum tribuamus. Eadem etiam ratio movit Philosophum, quod in Opere ad Nicomachum aliquoties fuerit protestatus, ne à se exigerentur demonstrationes exquisitæ, 1. Nic. 3. §. 5. seqq. c. 7 §. 51. 2. Nicom. 2. §. 5. 9. Nicom. 2. §. 16. non quasi nullas res morales ferrent demonstrationes, sed quod inibi non sint requirendæ accuratissimæ, quales exhibent disciplinæ Mathematicæ. Addatur cap. 6. 7. & 8. Examinis mei Probabilitatis Jesuitice, ubi idem argumentum tractavi. Et Barthol. Viotti de Demonstratione Libri quinque.*

**XXVIII.** Ex his cum abunde constare posse existimem, dari rerum moralium demonstrationes, adeoq; esse etiam quandam Juris Scientiam, jam redeundum est in viam, unde digressi sumus. Propositum fuit supra th. X. ex sententia Aristotelis, Civilem Scientiam & Prudentiam esse eundem habitum re, quamvis ratione differunt. Atque hoc ipsum jam paucis est explicandum. Persquenter Aristoteles Scientias divisit in Theoreticas, Practicas & Effectivas. Textus de hac divisione loquentes designavi cap. 7. *Exam. Probab. Jesuit.* Itaque profitetur etiam ille aliquam Scientiam civilem, per quam intelligit disciplinam omnem practicam, cuius præcipua pars cum sit Moralis, quæ nihil est aliud quam disciplina Juris Naturalis, etiam ex mente Aristotelis quædam erit Juris Scientia, uti modò pluribus ostensum fuit. Earundem rerum moralium & Juris est quædam Prudentia. Atque hanc Prudentiam cum Juris Scientia hactenus convenire ait Philosophus, quod per utram-

utramque denotatur eadem disciplina. Ultraque enim circa idem objectum morale est occupata. Scientia quidem ~~se~~ rebus moralibus ex universalibus principiis demonstrationes exstruit: Prudentia etiam versatur circa res morales, quatenus justi vel injusti, honesti vel inhonesti sunt capaces, atque hanc ad rem cognoscendam etiam adhibet universalia: semel iterumq; id profitente Philosopho *6. Nicom.* *7. §. 23. & cap. 8. §. 22.* Differunt vero Juris Scientia & Juris Prudentia τῷ λόγῳ, *ratione*. Ista demonstrationes practicas conficit: Hæc iis utitur. Ista pro fine habet theoriam de rebus practicis: Hæc universalia singularibus applicat, ipsius πράξεως gratia. Hinc Philosophus ita loquitur locis jam citatis: *Non rerum universalium modo Prudentia est; sed debent etiam ei esse notæ res singulares.* Atque propter hoc posterius differentia inter utramque constituitur à Philosopho, quando ait: *Quod dictum est, Prudentiam etiam esse rerum universalium; non esse tamen illam Scientiam perspicuum est.* Extremi enim est. Tale enim est id, quod sub actionem venit. Scilicet Scientia Juris versatur circa Universalia, ex quibus demonstrationes suas concinnat: Prudentia quidem etiam tractat Universalia, sed alio modo, ut videlicet illis utatur, applicando illa singularibus factis, quæ dicuntur Aristotelii ἔχαστα, quod in descensu iis Intellectus Practicus terminetur. Extremum vocat, quod sub sensum cadit, & ratione mentis nostra ejusq; agitationis in deliberando est extremum: cuius generis sunt omnia, quæ sub actionem cadunt: inquit Gifanius *ad d. c. 8. lib. 6. Nicom.*

XXIX. Utigitur deinceps perspicue intelligatur, quæ & qualis sit Prudentia Juris, & Juris & quoque Prudentiæ species seu differentiæ erunt investigandæ. Jus omne ratione

tiōne causæ efficientis seu originis est vel Naturale, vel Arbitrarium. Istud obligat omnes homines. Hoc vel civilem aliquam societatem singularem, vel alios homines qualunque alia societate conjunctos. Quemadmodum vero Jus Naturale est absolute & nat' ἐξοχὴ Jus, ita illius Prudentia absolute & nat' ἐξοχὴ erit dicenda Jurisprudentia. Cumq; Jus Naturale universale omnes homines obliget; ideo recte illius Prudentia à Grotio & aliis Jurisprudentia Universalis fuit appellata. Juris Arbitrarii uti plurimæ sunt species, ita multiplicem ejus constituere licet Prudentiam. Sicuti vero omne Jus locum habet in Societate quādam: & inter societas eminet Civilis; ita quoque inter species Juris Arbitrarii excellit Jus civile, quod quæque Civitas sibi condidit. Atque ipsa hæc Jura Civilia cum alibi maxima, alibi minori prudentia sint condita, etiam inter illa quædam sunt aliis præstantiora, veluti, Atticum jus, aut Laconicum. Præstantissimum vero omnium est Hebræum & Romanum. Unde alia erit Juris Attici, Laconici, Hebræi & Romani Prudentia; quamvis hæc propter amplitudinem imperii & magnitudinem potentiae sibi hoc nomen inter arbitraria jura civilia principaliter vindicaverit. Sed & cum ratione objecti Jus Arbitrarium aliud sit Publicum, aliud Privatum, aliud Sacrum, aliud Militare, aliud Feudale; hinc coeperunt etiam non absurdè dici Jurisprudentia Publica, Privata, Sacra, Militaris, Feudalis.

XXX. Prudentiae etiam species sunt variæ, & forte plures, quam plerique existimare videntur. Nostro autem proposito conveniet illa Aristotelica Prudentiae divisio in Voulobjectum, Legislatoriam, Βαλευτικὴν, Consultatricem seu Senatoriam, & δικαστικὴν, seu Judiciariam. Notandum enim est,

Phi-

Philosophum *a. Nicom.* 8. ubi hæc divisio traditur, hæc constituere membra dividentia Prudentiæ Civilis. Quia igitur Jus Civile, quo Civitas utitur, uti hoc explicat Aristoteles *s. Nicom.* 7. est Jus primariò dictum, etiam Prudentia *νοητή εξοχὴν*, quæ Civilis est, huc pertinebit. Quia igitur nobis decretum non est de qualibet Juris cuiuslibet Prudentia disputare, necessum est certum aliquod Jus, certamq; Prudentiam deligamus, ne incerta sit nostra omnis disquisitio. Occupata igitur erit opera nostra in scrutanda natura Jurisprudentiæ Civilis, & quidem juxta doctrinam Aristotelis.

XXXI. Ille vero docet, Jus Civile esse, quo Civitas utitur. Utitur autem Civitas in primis Naturali, deinde etiam Arbitrario jure. Utriusque igitur hujus Juris erit consideranda Prudentia, & quidem in thesi. Quamvis enim syntagmate Juris Romani etiam multa & Naturalis & quoque Arbitrarii Juris capita contineantur; nolim tamen nostram theoriam jam ad hypothesin Jurisprudentiæ Romanæ adstringi, sed in thesi Jurisprudentiæ generaliter consideratae illam occupatam relinqui.

XXXII. Species Prudentiæ Civilis paulò ante commemoratas Aristoteles *a. Nic. 8.* ita recenset, ut Legislatoriā appellat *ἀρχιεκπονητὴν*, Principem ac ordinatricem. Quemadmodum enim architectus fabrorum, cæmentariorum, aliorumq; operas ad finem & ideam sibi propositam ordinat; ita per hanc Prudentiam civitas legibus convenientibus describitur & bene constituitur. Reliquas duas species generali nomine *Φεγύστεις τῆς πόλεως*, seu *πολιτῶν*, complectitur: procul dubio hanc ob causam, quod Prudentia Legislatoria civitatem constituat, Senatoria vero & Judiciaria constitutam illam regat & conservet; ita quidem,

D 3

ut Sena-

ut Senatoria Prudentia negotiis præcipue publicis delibera-  
randis, Judiciaria negotiis privatis dijudicandis prospiciat.  
Singulæ hæ species exactam utriusque juris, & Naturalis  
& Arbitrarii rationem habebunt. Legislatoria diligenter  
leges naturales inculcabit, explicabit, earumq; pro-  
mulgationi pro variis causarum figuris prudenter subser-  
viet: Arbitrarias vero tales feret, quæ civitati & Reip.  
cuique accommodatae, & Juri naturali minimè sint ad-  
versæ. Senatoria, consilia & deliberationes ita moderabi-  
tur, ut officio boni civis & boni viri convenient, vel sal-  
tem inter illa, Justumq; & Utile nulla sit pugna. Fiet  
hoc, si consilia ita attemperentur statui, ne tamen Jus  
Naturale lædatur, sed illa semper Numen, à quo Jus Na-  
turæ profectum est, sperare possint propitium. Judiciaria  
quoque in applicatione legum ad facta utriusque Juris,  
Naturalis & Arbitrarii, observans esse, & in iis dijudicandis  
præcipue æquitatis, tum etiam legum arbitrariarum scri-  
ptarum rationum habere debet.

XXXIII. Colligi hinc potest, quām inconcinnè à  
multis quæsitum ac disputatum sit, ad quam speciem Pru-  
dentiae referenda sit Jurisprudentia? Primo enim illud te-  
nendum est, non quæri de officio Jurisconsulti, sed ab-  
stractè de Jurisprudentia. Deinde si instituas quærere de  
Jurisprudentia civili, vel de illa tota, vel de ejus aliqua  
parte erit quæstio. Si de tota Jurisprudentia quæras ad  
quam speciem sit referenda, absurdus es & Philosophis lu-  
dibrium debes. Solida enim Prudentia Civilis ex Legis-  
latoria, Senatoria & Judiciaria Prudentia tanquam suis  
partibus constituitur, & circa omne jus civitatis tam Na-  
turale quam Arbitrarium, versatur: adeoq; si ita, ut dixi,  
quæ-

31

quærere instituas, totum ad quam sui partem referendum sit, ineptè quæris. Quod si seorsim quæras, ad quam Prudentia speciem referenda sit Legislatio, aut Deliberatio de negotiis publicis, aut Dijudicatio causarum contoyeriarum; facile appareat, istam Nomothetica, illam Senatoria, hanc Judiciaria Prudentia regi.

XXXIV. Quod si has Prudentia Civilis species inter se contenteris, quæsiverisq;; quæ ex illis præ cæteris Jurisprudentia nomine digna sit? non dubito primas deferre Nomotheticæ, quod per illam Civitas, quod ad publica & privata negotia omnia, rectè constituatur: quam dignitatem & prærogativam etiam Aristoteles indicare voluit, e-logio ~~αρχιτεκτονικῆς~~ illi tributo. Atque in eandem sententiam inclinat doctissima Conringii dissertatio, quam ille Joachimi Hopperi de Vera Jurisprudentia libris præmisit, ibiq; Nomotheticæ Prudentia facultatem, præstantiam ac munia pluribus exhibuit. Cum vero Senatoria deliberationes suas legibus à Nomothetica suggestis vel præscriptis, atque item Judiciaria suum arbitrium iis conformare debeat, has Prudentia civilis species inferiori gradu & dignitate consister certum est. Quod si item Senatoriam cum Judiciaria contendas, non dubito tantum istam hac præstare, quantum Jus Publicum Privato, & negotia publica, circa quæ ista præcipue versatur, privatis antistant.

XXXV. Quamvis autem hæc verè differuisse videri multis queam, superest tamen nodus valde perplexus, quid, iis admissis, à Politica differat Jurisprudentia? aut an omnino non differat? Hunc ut tanto felicius expediam, magna cautione & sollicita diligentia opus est. Jurisprudentia vocabulum, uti illud conjunctum à Latinis usurpatum,

Græ-

Græcis, & certè Aristoteli, non fuit in usu. Itaque videri possim operam perdidisse, quod ejus naturam ex Aristotele ostendere conatus sim. Etsi vero prius ita se habeat, nihil tamen vetabit, Jurisprudentiæ naturam ex philosophia Aristotelica quò minus demonstrem, quandoquidem illo nemo rectius vel de Jure vel de Prudentia philosophatus est. Quomodo vero à conjunctæ significationis Jurisprudentia differat Politica, difficultas superest. Quando enim supra ex 6. N. eom. & pr. disputatum fuit, Civilem seu Politicam scientiam tandem esse cum Prudentia civili, per hanc non poterit intelligi Jurisprudentia, nisi & hanc cum Politica simpliciter convenire profiteri velis.

XXXVI. Sciendum itaque est, & vocem Politices, & quoque Prudentiæ civilis modò latius, modò strictius paulò accipi. Politica scientia latè accepta universam Philosophiam practicam, cuius præcipua pars est disciplina de Moribus, sive Jure Naturali, complectitur. Strictè accepta significat disciplinam specialem de Civitate bene constituta & regenda. Prudentia civilis latè, & quoque strictè dicta, iisdem cum Politica latè & strictè dicta terminis circumscribitur. Quemadmodum vero disciplina de Moribus considerat actiones humanas, quatenus Honesti vel In honesti sunt capaces, atque ipsis Homo perfici potest; ita disciplina Civilis speciam dicta præterea actiones humanas considerat, quatenus ad cujusque Reipublicæ commodum & finem disponi debeant. Prudentia itaque Civilis in disciplina de Moribus actiones humanas ad Honestatis normam dirigit, in Politica speciam dicta præterea sub Utilitatis ratione Honestas actiones commendat, In honestas ceu Inutiles dissuadet.

XXXVII.

XXXVII. Quia Vero Homo in Philosophia Practica  
 duplice modo considerandus est, primò quidem respectu  
 sui, quatenus illius perfectio consistit in Virtutibus, sic ut  
 ad omnes actiones suas morales vel civiles recte suscipiendas  
 & exequendas animum bene instructum habeat: deinde  
 respectu eorum, quibuscum in societate vivit, quatenus  
 est animal natura sociale, & civile, ut iis officia virtutum  
 sub necessitate obligationis quovis loco, tempore aliarumq;  
 circumstantiarum ratione debitas præstet; ideo Actiones  
 humanæ morales & civiles etiam duplice respectu sunt con-  
 siderandæ, vel quatenus Honestæ sunt aut Inhonestæ, qua-  
 rum illæ suum possessorem perficiunt, hæ corrumpunt:  
 vel quatenus sunt Justæ & Injustæ, quarum illæ pro cuius-  
 que societatis natura debitæ & præstitæ illam conservant,  
 hæ vero perpetratae illam labefactant aut penitus evertunt.  
 Honestarum actionum perfectio omnium & singularum  
 Virtutum habitibus adquiritur. Inhonestarum actionum  
 turpitudo & vis corrumpendi ab omnium & singularum  
 Vitiorum habitibus proficiscitur. Omnes vero illæ honestæ  
 actiones altero respectu consideratae, quatenus in societate,  
 præcipue civili, aliis sub nexu obligationis debentur, Justæ  
 appellantur, easq; omnes complectitur Justitia Universalis,  
 utpote quæ omnium & singularum virtutum officia per  
 modum Præcepti exigit, earumq; Leges promulgat &  
 tuetur. Omnes vero actiones Inhonestæ sub Injustitia Uni-  
 versali comprehenduntur, & à Justitiæ Universalis legibus  
 vetantur & damnantur. Quia vero, uti supra dictum fuit,  
 nulla societas solo Naturæ jure regitur, sed insuper arbitra-  
 rio; ideo Justitia Universalis, quæ præprimis totius Civitatis  
 finem pro cynosura habet, non solum complectitur

E

Leges

Leges Naturales, virtutum actiones jubentes, vitiosas ventantes, sed & Leges Arbitrarias, istis minimè adversas, quamvis fortè ab iis multum diversas.

XXXVIII. Prudentia igitur Civilis tota & absolutè spectata actiones morales & civiles non solum considerat, quatenus Justi & Injusti sunt capaces, sed & circa easdem versatur, quatenus vel sunt Utiles vel Inutiles. Si vero hanc posteriorem determinationem objecti hinc removeam, & Prudentiam non absolutè, sed sub præcisa ratione Justi Universalis circa Leges tam Naturales quam Arbitrarias Civitatis occupatam considerem; hæc est genuina illa quam quærimus, Jurisprudentia: quam cum dixi circa actiones morales versari sub præcisa ratione Justi vel Injusti Universalis, non hoc volo, quasi ab Honesto vel Justo absolute tali abesse possit Utilitas, multò minus quasi à Jure Arbitrario illa secerni debeat, cum potius illius mensura & finis sit Utilitas; sed quod Jurisprudentia Actiones sub illo determinato respectu Justi & Injusti consideret, etiam si illud Justum & Utile involvat. Itaque Jurisprudentia, hoc est, Juris civilis extra hypothesin Reip. alicujus singularis, Prudentia civilis tota si quæritur, hæc est, quam dixi, quæq; his tribus partibus constat, Nomothetica, Senatoria & Judicaria. Atque hæc ipsa tota sumpta à Prudentia civili absolutè considerata hactenus tantum differt, quod hæc latè accepta præter Justi & Injusti respectum etiam Utile & Inutile in actionibus humanis respiciat, & actiones justas tanquam ad Felicitatem civilem Utiles dirigat, Injustas tanquam ad illum finem plane Inutiles damnet atque sedulò dissuadeat. Hoc ipsum tamen Utile vel cum Honesto & Justo prorsus re idem est, vel saltem tale, ne illi repugnet.

Quod

Quod ipsum prolixè & accurate ostendi in meo Comen-  
tario ad lib. 2. Offic. Ciceronis. Breviter jam illud confirma-  
bimus verbis Boëcleri ex ipsius Institutionibus Politicis,  
lib. 1. cap. 1. in f. post obitum Autoris demum editis. *Sicut.*  
inquit, *usus recta rationis in constituenda regendaq; Civitate,*  
*non minus circa Honestatem & Justitiam, quam circa Utili-*  
*tatem versatur: ita constans fuit Aristotelis, Platonis, &*  
*optimi cuiusque veterum sententia, Utilitatem ab Honestate*  
*& Justitia non esse divellendam: seu, nihil Utile habendum,*  
*nisi quod idem Honestum Justumq; esset: adeoq; (ut semel*  
*complectamur) nihil sociale ac civile, aut vita Prudentiaq;*  
*sociali ac civili dignum esse, nisi quod ab Honestate & Justitia*  
*projectum, ad Utilitatem singularum ac universarum conten-*  
*deret. Recte enim Socrates apud Ciceronem, execrari cum*  
*solebat, qui primus Utilitatem à Natura sejunxisset; id enim*  
*querebatur caput esse exitiorum omnium. Qua dere ille ipse,*  
*quem laudavi, Cicero in Officiis accurate & copiose disputat.*

XXXIX. Quid igitur & qualis sit Jurisprudentia  
absolutè & tota considerata, & circa Jus civile, quale illud  
Aristoteles describit, occupata, jam constat. Quod si jam  
Jurisconsultum illum dicas, qui Jurisprudentia sit instru-  
ctus, eumq; in idea quadam tibi proponas, integra Juris-  
prudentia illum instructum, adeoq; & Nomothetica & Sena-  
toria & Judiciaria Prudentia præditum esse oportet. Isti-  
usmodi enim res, quæ abstractè & sub idea considerantur,  
in summo perfectionis gradu ab Intellectu constitui debent.  
Ita Princeps, Sapiens JCtus in idea consideratus plurimum  
distant ab iis Principibus, Philosophis ac JCtis quos habemus,  
quibusq; utimur. Ex quibus JCtis ut quisque ad hanc  
ideam proprius accedit, vel ab ea longius abest, ita magis

minusque in Jurisprudentia eum prosecuisse existimandum est. Neque enim ideo falsa putanda est nostra doctrina, qua tantam perfectionem in JCto, sub Idea considerato, requisivimus, modo illud semper advertatur, me talem JCtum descripsisse illum, qui tali Jurisprudentia sit instructus, qualem paulo ante delineavi, videlicet integra illa Prudentia qui sit praeditus, circa Jus Civile ab Aristotele descriptum occupata.

XL. Quod si vel ab hac solida Prudentia, vel ab hoc Jure Civili absolute spectato, aut ab illa JCti tradita idea abierimus, sub diversissima notione atque imperfectione Jurisprudentia constituetur. Si enim primo à solida Prudentia recessero, eveniet, ut aliquis tantum parte Jurisprudentiae sit praeditus, vel Nomothetica, vel Senatoria, vel Judiciaria: aut si forte has habuerit conjunctas, ista vero caruerit, integræ Jurisprudentiae possessor non erit. Ubi igitur alius hac, aliis alia Jurisprudentiae parte præcelluerit, & forte inter illos ambitus judicium instituatur, ex prærogativa cujusque speciei seu partis cuique possessori suum constabit pretium & ædia.

XLI. Deinde si abierimus ab illo Jure Civili Aristotelico, & aliis Juris Prudentiam consideraverimus, neque illius tanta poterit esse perfectio. Etsi enim in non-nullis Rebus singularibus magna prudentia conditæ fuerint Leges, saepe tamen in explicatione Legum Naturalium Legislatores impegerunt, & multas arbitrarias leges sanxerunt, istis vel adversas simpliciter, vel saltem propter rigorem & iniquitatem cum istis graviter colluctantes. Huc pertinet illud Ulpiani: *Hoc quidem perquam durum, sed ita lex scripta est. l. 12. §. 1. ff. qui & à quib. manum.* Quanto melius illud ejus-

37

*Ejusdem Jcti dictum se habet: Hoc aequitas suggerit, et si jure  
deficiamur. l. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. pluv.*

XLII. Etsi etiam in multis Rebuspublicis in hypothesi consideratis Jus Publicum cuiusque statui satis sit accommodatum, quatenus tamen ille nonnunquam nimie enormiter ~~magexcaive~~, & non solum à Rep. Optima degenerem sed vitiosam naturam induit, & tamen istiusmodi Legibus, normam Juris Publici Senatoribus præscribentibus, consilia conformantur, & Honesto Justoq; posthabito in qua forte Ratio Status in Senaculo præfertur; hactenus etiam Senatoria Prudentia in hypothesi considerata vitio carere nequit. Ut etiam ex hac parte appareat, Prudentiam non debere hujus vel istius Juris in hypothesi spectari, sed illius quæri debere, quod in thesi & absolute Jus est, quale est Civile Aristotelicum.

XLIII. Hoc, inquam, nisi fiet, etiam Prudentiam Judiciariam in hypothesi spectatam, & certis Rebuspublicis usitatam, multis modis deficere videbimus. Modò enim patroni causarum non secundum religionem conscientiæ merita causarum proponunt, sed quavis arte distorquent, & tam Judicem quam partem adversam circumvenire in studio & deliciis habent. Modò his ipsi Judices nihilo sunt meliores, sordibus corrupti, conscientias & sententias venales habentes. Modò ab utrisque non quidem Dolo, sed varia Culpa & imperitia peccatur, sententia eventui committitur, & in casum fortuitum degenerat. Prudentia autem Judiciaria, quæ partem constituit Prudentiæ Juris Civilis absolute considerati, ab his corruptelis ac vitiis immunis, Justi rectiç; sine offensa tenax est, & cuique facto suum jus applicat.

E 3

XLIV.

XLIV. Sed denuo fortassis à me requireret quisquam, ubi istiusmodi & Jus Civile perfectum, & perfecta Jurisprudentia reperiatur, & in qua tandem Republica obtineat? Respondeo, quamvis istiusmodi Jus vel Jurisprudentia in nulla Republica singulari inveniatur; conveniens tamen hoc est mori philosophandi, ut istiusmodi rerum abstractè consideratarum perfectio vel in Intellectu, & sub idea quadam constitui possit, imò debeat. Quemadmodū igitur Aristoteles in sua Philosophia Practica ubique sibi propositā habet ideam suam Reipublicæ Optimæ, & in hac tale Jus Civile, quale descripsit obtainere vult; ita quoque, si rectè philosophari velimus, Jurisprudentiam secundum statum & ideam Civitatis perfectissimam expendere convenit.

XLV. Hunc morem nisi tenebimus, & quoque ab idea perfectè & absolutè considerati Jurisconsulti recesserimus, infinitos quidem & in Jurisprudentia & Jurisconsultis in hypothesi consideratis imperfectionis gradus deprehendemus, neque tamen normam aliquam aut ideam habebimus, ad cuius perfectionem varii illi imperfectionis gradus exigi atque examinari possint. Quæ Jurisconsultorum imperfectio non solum in eo cernetur, quod alius hac, aliis alia solidæ Jurisprudentiæ parte suffultus, totam tamen illam sibi vindicet, sed quod tantum non omnes ne quidem unius partis, Nomotheticæ, Senatoriæ vel Judiciariæ Jurisprudentiæ; possessionem laudemq; solidam sibi suo merito tribuere queant.

XLVI. Atque alias hujus rei causas ut prætermittam, una tamen, eaq; præcipua dissimulanda non est. Quod Aristoteles de Prudentia Civili ait, eam esse & Universaliū & Singularium, *o. Nicom. 7. §. 23. & cap. 8. §. 22.* idem non-

non solum de Jurisprudentia, sed & de singulis ejus partibus seu speciebus est dicendum, sic ut Jurisprudentia & Nomothetica, & Senatoria, & Judiciaria tam cognitione Universalium quam Singularium debeat esse subnixa. Quamvis autem moneat Aristoteles, operam esse dandam, *ut utramque cognitionem habeamus*, 6. Nicom. 7. §. 28. accedit tamen diversimodè, ut alium cognitionem universalium, alium singularium, alium utrorumque, sed iterum vario imperfectionis gradu habere videoas. Universalium cognitionis eò prodest, ut hinc estrui possint Demonstrationes. *ἐν τέτον τῷ αἱ ποδεῖς, καὶ τοῖς τέτον: Ex his enim principiis conclusiones demonstrantur, & de extremis seu singularibus sunt demonstrationes.* 6. Nicom. 11. §. 21. Singularium vero cognitionis, quæ eidem Philosopho Experienciam nomine venit, ad agendum maximè commoda est, *quia omnis actio versatur in singularibus.* 6. Nicom. 7. §. 24. Cum igitur per pauci sint, qui cognitionem & Universalium & Singularium habeant, queritur uter alteri sit præferendus, qui vel tantum istam, vel hanc tantum cognitionem sibi adquisivit? Audiamus arbitrium Aristotelis. Is ita decernit 6. Nicom. 7. §. 25. seqq. *Cum hic (in singularibus) nonnulli insci sint, ad agendum aptiores scientibus (cognitionem universalium habentibus) tum in aliis rebus ii, qui sunt usuperiti: Nam si quis sciat, carnes leves esse ad concoquendum faciles & salubres: leves autem quæ sint ignoret, bonam valetudinem non efficiet; sed is potius efficiet, qui avium carnes scit esse leves & salubres. Prudentia enim in agendo posita est. Danda igitur opera est, ut vel utramq; cognitionem habeamus, vel hanc potius, quam illam solam.* Et 6. Nicom. 11. §. 22. & 23. Itaque *usu peritorum, & senum aut prudentiam pronuntiatis atque*

atque opinionibus etiam non demonstratis, non minus, quam demonstrationibus attendendum atque obtemperandum est. Nam quoniam per Experientiam oculum quendam consecuti sunt, principia facile cernunt. Hæc ille.

XLVII. Si igitur perfectus Jurisconsultus, sive in idea consideratus, debet instructus esse & Prudentia Nōmōthetica, & Senatoria, & Judiciaria, præditusq; singularum harum cognitione tam universalium quam singularium; magnum hinc denyo argumentum peti potest, cognoscendi variam imperfectionem in iis, qui venerandum JCTi nōmen temere usurpant, idq; veluti Harpyæ foedo contactu involant & conspurcant. Quos inter nescio an alii sint impudentiores, quam qui Juris Naturalis disciplinam ne quidem extimis labris degūstarunt, atque insuper, ut fit, illam stolidissimè contemnunt; cum tamen hujus juris solida cognitio veræ perfectæq; Jurisprudentiæ partein constituat præcipuam. Quid de iis dicendum, qui Juris publici administrationem in quæstu habent, consilia non publico sed privato emolumento attemperant, Rempublicam non juvant, sed premunt, imo səpē opprimunt, aut, qui ne quidem opidulo, nedum Reipublicæ, rectè præesse horunt, & tamen magni Jurisconsulti haberı volunt, imo jure quodam quæsto hoc nomen & elogium sibi postulant? Quamvis etiam nonnulli, qui in foro versantur, Judiciaria Prudentia sic satis polleant, neque præter hanc in iis, Jurisprudentiam quod attinet, forte quisquam aliquid desideraverit; nemini tamen non rerum forensium perito constat, multos non tam in Judiciaria prudentia, quam facundia & audacia sua præsidium habere, Judices sedere illos, qui non solum Prudentia Judiciaria, sed ipso səpē judicio sunt destituti,

stituti, causasq; perorare eos, qui solidam prudentiam Ju-  
diciariam non attigerunt, sed quæstui unicè inhiant, & ad  
fraudes, fallacias, infidiasq; dolosas animum, consilia, la-  
queosq; Processus comparatos & intentos habent. Atque  
hos tamen omnes jure quodam optimo maximo Juriscon-  
sultorum nomen possidere videoas. Etsi etiam in Acade-  
miis multi præclarí viri magnam Jurisprudentiæ solidæ lau-  
dem suo merito adsecuti fuerint, multis tamen, (quibus  
memet non eximo) multa deesse quis nescit? Quotusquis-  
que Juris Naturalis aliquam habet curam aut rationem,  
nedum ut ejus exactam cognitionem adquisiverit? Nonnulli  
scientia legum satis sunt instructi, Prudentia autem rerum se-  
cundum leges gerendarū sunt destituti. Alii habent cognitio-  
nem universaliū, alii singularium tantum, alii feliciori  
ingenio majoriq; studio utramque amplexi sunt; ut sanè  
non sine ratione discriben posse inter Juriscon-  
sultum, & Jurisperitum, etiamsi nonnulli utroque nomine  
promiscuè fuerint usi. Nihil enim vetat, diversis rebus  
diversas querere appellations, imò distinctis rebus distinctæ  
significationis vocabula tribuere omnino conveniens est.

XLVIII. Atque hactenus demonstratum fuit, esse ali-  
quam Juris absolute considerati Scientiam: deinde esse  
quoque ejusdem Prudentiam, eamq; integrā comprehen-  
dere Nomotheticam, Senatoriam & Judiciariam. Denique  
JCtum secundum ideam exploratum hac omni Juris Civilis  
Prudentia debere quidem esse instructum; ut tamen sibi  
tantum solidæ Jurisprudentiæ deesse existimet, quantum  
fortè imperfectionem in se deprehenderit. Cæterum cum  
ego de Jurisprudentia & Jurisconsulto in thesi & juxta  
principia Aristotelica differuerim, veniam mihi dari postulo,

F

si alii

si alii viri docti à se me dissidentem deprehenderint,  
Quomodo enim me consentientem habete poterunt ii,  
qui vel ex aliis principiis de Jurisprudentia & JCto dispu-  
tant, aut Jurisprudentiam vel JCtum in hypothesi consi-  
derant, & certo modo aut qualitate vel istam vel hunc ad-  
fectum præsupponunt?

XLIX. Si enim verbi gratia mihi propositum fuisse  
expendere Jurisprudentiam Romanam, aut Jurisconsultum,  
qualem illum in Republica Romana esse voluerunt, non  
parum aliter illa omnis disputatio fuisse instituenda. Etsi  
enim Jurisprudentia Romana sit longè præstantissima, non  
tamen cum Jurisprudentia Universalis componi meretur,  
nedum ut ei anteponi debeat. Interim ea cum primis re  
maxime aestimanda est Jurisprudentia Romana, quod, cum  
Jurisprudentia Universalis hactenus plenè non fuerit tradita,  
ejus tamen pretiosissimæ particulae per Digestorum libros  
sint dispersæ. Eadem vicissim suos quoque habet naves;  
multisq; defectibus tum *αιωνοδια* laborat. Quod tamen  
non ita accipi velim, ac si prorsus nulla illius Juris sit  
methodus, sed quod passim & Librorum, & Titulorum, ipsa-  
rumq; Legum nulla vel *συνέχεια* vel *συνάρθεια* cernatur, quæ  
tamen in tam vasto studio queri posset & deberet. Tan-  
tum vero abest, ut Jurisprudentia Romana simpliciter opti-  
ma & perfectissima haberi possit, ut ne quidem Jus Reipu-  
blicæ Hebræorum à Legislatore Deo libere conditum tale  
omnino haberi debeat. Quam in rem adsciscere licet in-  
fallibile Servatoris nostri testimonium, professi, huic populo  
multa fuisse indulta *διὰ τὴν συληγνασθέντας*.

L. Si quoque talem JCtum describere voluissim,  
qualem illum Romaniveteres, vel hodie in Germania multi  
esse

esse volunt, longè mili alia ineunda fuisset ratio. Si quereretur, quisnam Juris consultus verè nominaretur; eum dicerem, quilegum, & consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavadum peritus esset. Cic. 1. de Orat. Idem Servium Sulpitium his verbis commendat: Nec verosilebitur admirabilis quadam, & incredibilis, & penè divina ejus in legibus interpretandis, aequitate explicanda, scientia, in Philipp. 9. Est sine dubio domus Jcti, totius oraculum civitatis. 1. de Orat. Duplex igitur cum primis Jctorum in Republica Ro. fuit officium, Interpretari leges, & Respondere consulentibus de jure. Imò nonnulli omne Jctorum officium contineri putant, facultate interpretandi leges. Tamen igitur Jctum in hypothesi qui sibi propositum habent, ipsam Jurisprudentiam non dubitant definire per habitum interpretandi leges. Atque ad hanc Jurisprudentiam in hypothesi spectatam etiam videtur respexisse Christophorus Ehemiūs, qui illam medio inter Prudentiam νομοθεσίαν & πολιτικὴν natura esse docet lib. 2. cap. 5. de Principiis Juris. Alii hanc Jurisprudentiam ad nullam Jurisprudentiæ absolute consideratae speciem referri posse, sed compositam esse ajunt ex duobus habitibus Prudentiæ ad finibus, quorum alter σοφεῖς, alter γνῶμη ab Aristotele dicitur. Hi quo tendant, ex iis, quæ de utroque hoc habitu exposui, quodammodo colligi potest.

LI. Horum vestigia si legere liberet, tentari forte posse, annon Celsus recte etiam dixerit, quod *Jus*, hoc est, Jurisprudentia sit *ars boni & equi*. l. 1. pr. ff. de *Just.* & *Jur.* Sic ut non solùm sit aliqua *Juris & Scientia*, & *Prudentia*, sed & alio respectu Ars. Neque enim vereor affirmare, δίκαιην εἰρηνευτικὴν seu *Facultatem interpretandi*

Artem quandam esse: ipsamq; Interpretationem vel in pri-  
mis Aequitatem debere consectari. Unde tam veterum  
quam recentiorum encomia, quibus Jurisprudentiam ex-  
tollunt, præcipue in Aequitatem conspirant. Imo Cicero  
laudat Crassum, quod multa contra scriptum pro aequo &  
bono dixerit, & hominem acutissimum Q. Scævolam argu-  
mentorum exemplorumq; copia obruerit. in Bruto s. de clar.  
Oratorib. Sed si verum amamus, nullo modo defendi posse  
videtur, ut Jurisprudentia dicatur Ars. Etsi enim Jura  
Legesq; Interpretationem exposcant; alia tamen disciplina  
est ipsa Jurisprudentia, alia vero Ars interpretandi jura vel  
leges. Et vero illa Ars interpretandi plurimarum aliarum  
disciplinarum adminiculo & subsidio opus habet, sic, ut si  
JCTum ex munere interpretandi metiri velimus, ipsi hanc  
ad rem sola Jurisprudentia nequaquam sufficere possit. Sed  
vel de Interpretatione Juris, aut officio JCTorum jam uber-  
ius differere non constitui. Quæ vero de Jurispruden-  
tia & Jurisconsulto in thesi proposita sunt, aliorum testi-  
moniis vel autoritate confirmare aut illustrare nolui: quod  
illi in nimium diversas opiniones discedant, ut potius visum  
sit, ex meo ingenio (ceu initio dixi) symbolam conferre,  
quam aliorum dissidia vel componere, vel ex iis te-  
nebris meæ sententiae lucem querere.

F I N I S.



# COROLLARIA.

I.

**C**onsuetudinis Jus Populo sine discrimine acceptum ferendum non est.

II.

Quod metu belli justi exprimitur, non admittit restitutio-nem. *Grot. 2. de J. B. P. c. 17. n. 16.*

III.

Cur Ulpianus Jurisprudentiam æquè divinarum atque huma-narum rerum notitiam esse dixerit, vel inde conjectare licet, quod Val. Maximus Scævolam & Titum Manlium Torquatum: Tacitus, Macrobius & Gellius Atejum Capitonem: Festus Pompejus, Charisius & Sosipater Labeonem, Pontificii juris peritissimos fuisse testentur.

IV.

Malè Zoannettus in *tr. de Ro. Imperio & ejus Jurisd. ex usu Legum ad subjectionem argumentatur.*

V.

Sicut nec Appellatio infallibile indicium Superioritatis est.

VI.

Magni sanè facienda est *l. 11. ff. de pœn.* non tamen tanti, ut eam cum Oldendorpio toti Constitutioni Criminali Carolinæ præferre velis.

VII.

Nimius est Franciscus Vivius, quando his utitur verbis: *Spurius non magis potest fieri Doctor, quam asinus homo.*

VIII.

Si is, cui promittitur, metum intulerit non justum, sed inju-stum, quamvis levem, atque inde secuta sit promissio; is tenetur ad liberandum promissorem, si promissor velit. *Grotius lib. 2. de J. B. P. c. 11. n. 7.* Negata vero hac liberatione, ipse promissor se re-stituere in integrum potest. *Idem lib. 3. de J. B. P. c. 23. n. 2.*

F 3

IX.

IX.

Qui Processum callet, Legum ignarus, Pragmaticus potius  
quam Jctus Practicus appellandus est.

X.

Datur Dominium eminens.

XI.

Jcti recte præficiuntur civilibus Reip. muneribus.

XII.

Sacerdotes non solum sunt ministri Ecclesiæ, sed etiam sub-  
diti Magistratus.

XIII.

Publica utilitas tollit Monopolii vitium.

XIV.

Ministri Typographi eadem cum hoc immunitate fruuntur,  
etiam si conjugium inierint. *Mev. p. 8. decis. 205. & seq.*

XV.

Si quis appellaverit à Judice interessato, lex 6. C. *quor. appel-*  
*lat. non recip. non habet locum.*

XVI.

Per desidiae deditos in l. 25. §. 1. ff. de probat. non cum Cujacio  
lib. 21. obs. 26. Monachos, sed Christianos, quibus Jctus Paulus  
admodum fuit infensus, intelligimus.

XVII.

Magis etiam infestus fuit Christianis Ulpianus, qui illos *Im-*  
*postorum* nomine traduxit l. 1. §. 3. ff. de extr. cognit. & septem  
Rescripta Principum, quibus poenis adfici Christianos oporteat, in  
libris de Officio Proconsulis collegit, teste Lactantio lib. 5. *Instit. c. 11.*

XVIII.

Verum est, quod scribit Cujacius ad Greg. Lomellinum, Juris  
disciplinam Definitionibus indigentissimam esse. Neque tamen  
nostrum desiderium expleret, si superesset Q. Mutii Scævolæ liber  
ad r̄v ῥ̄w, quantum colligere licet ex l. 64. ff. de adq. rer.  
dom. l. 8. ff. de aq. cott. & a. l. 241. ff. d. V. S. l. 73. ff. de R. I.









Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn798481374/phys\\_0055](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798481374/phys_0055)


DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn798481374/phys\\_0056](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798481374/phys_0056)

DFG



ere illa noluit, quod alibi significa-  
diuinarum antistiti plane hoc dari  
d æternæ hominum saluti intentus  
romoueret omni studio. Post Gre-  
tempora, quando maior pontificum  
œpisset in Imperio, alibique passim  
dos quoque equestres, ex peculiari  
i particulam esse voluerunt, quasi  
num, *E* pericula animarum proueni-  
n inficiari haut licet, in torneamen-  
am serie abreptos fuisse sepius, qui  
ion debebant, nec pauca ipsorum.  
nti annumerare possemus Nulla-  
raua intentio, non cædis, sed virtu-  
m iam pridem, ne imparati ad lu-  
diligentissime sibi prospicere tene-  
stri, de viatico cœlesti. Goldastus,  
itutionum, ad annum 100 CCC XXXIX, p. m. iii,  
, sub sacramenti violatione, area e-  
se immittat, qui non prius expiaue-  
*E* DEO se reconciliauerit. Atque  
e παραγνεύει, velut ex regula, obti-  
ennibus, ac necessaria erat, quia e-  
erunt antiquius, quam viuere iuxta  
& iura consueta. Neque dubitan-  
er ita prodierint instructi ad certa-  
quod & ante prælia in bellis, pari  
sacramenti adhiberent. Sic vero  
e, torneamenta publica, & quæ au-  
m instituebantur, nec pontificum  
nia impediri potuisse, quemadmo-  
Guelfico, Coloniensi Florentii co-  
Bb 3 mitis

Bb 3

*mitis*